DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE

DEBILITATE ERETHISTICA,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRÆSIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI
DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
DD. PROFESSORUM,
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE OBTINENDA
IN ANTIQUISSIMA ATQUE CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Ignatius Schwarzenberg,
Hungarus Keszthelyensis.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die . mensis Martii 1837.

VINDOBONAE.
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

Ich will auch nicht mehr ruhen, bis mir nichts mehr Wort und Tradition, sondern lebendiger Begriff ist.

Göthe.

Attento, dum diu, indefessique inter amplissimae
bis incolas morborum causas, characteremve inda-
remus oculo, in dies confirmatam nacti sumus ex-
rientiam: minorem illorum vix esse exercitum,
ii, debilitatis, etsi genuinae suboles, aut comites,
laci tamen energiae vitalis adauctae sub larva inex-
rtos decipiunt, quam eorum, quos recte excessui,
que intemperiei virium imputare licet. Cur tantopere
a apud multos opinio invaleret, ut in omni aegroto
n minus, ac morbo vix aliud quid, quam ener-
am vitalem infringendam, cum erigenda potius
set, pensitent, ultro meditantibus protinus elucebat:
iis caloris vitalis augmentum, congestiones tumul-
arias, stimulorum impatientiam, motuum organicorum
ternam alacritatem, ac infrenatam saepe violentiam,
lsuum emendicatum a spasmis vigorem, fallacem-
ie duritiem, aliarum tandem actionum vitalium im-
tum illum, quem fidelem fere semper erethistica
bilitas, sibi comitem vindicat, pro totidem saepe
gnis haberi, quibus processus vitalis verum vigoris
i incrementum ac excessum palam reddere solet.
reparabiles sane ab eo, qui accuratam, subtilemque
riusque status distinctionem eruere negligit, erro-
s committi, experientia monet; atque illi potissimum
ant, qui inter tot, quae pertractanda essent, argu-
enta e dignissimis sane unum seligere nos commo-
erunt. Non paucis, quae hic conscripsimus, diffici-

lem rem plene et laudabiliter absolvi vana est opinio, sed ad gravissimam, multorum, non unius conatibus perficiendam operam necquidem debiles, dum accedunt, superfluae censeantur manus.

Sedula igitur observatione, primatum artis doctrinis ac experientia adjuti, quomodo ea debilitatis vitalis species, quae deficiente vigore interno et constantia processus vitalis, cum stimuli impatientia, violento in eum, sed insufficiente renisu, atque imperfecta reproductionis conditione incedit, oriatur, quomodoque recte dignoscatur, eruere et in sequentibus exponere conabamur.

Genuinam omnem debilitatem duplici modo: incitamentorum nempe vitalium substractione, aut nimia virium adstrictione oriri, omnes consentiunt. Jure igitur illam directae — indirectae hanc nomine insigniunt. Minus recte autem ii faciunt, qui prioris titulo illam quoque, quae nimia sensibilitate stipatur, complectuntur; ea quidem ex ratione, quod stimulorum subductione semper et unice debilitatem cum horum intolerantia generari putent. Id saepe quidem fieri concedi debet; ubique vero rem se ita habere, experientia negat: Caloris imminutio incitabilitatem potius deprimit, quam auget; musculorum irritabilitas una cum oxygenii in aëre et sanguine deminutione sufflamminatur; — e contrario musculus, quem nimia intentio ad summam imbecillitatem (indirecte ergo) perduxit, nihilominus peregrino adhuc, exiguo licet, stimulo in motus convulsivos rapitur; organa functionibus cogitandi destinata, meditatione immodica dum debilitantur, majorem sensibilitatem produnt, e. s. p.

His omnibus evincitur, terminis debilitatis directae — indirectae exactius originem rei designari; titulo vero debilitatis cum erethismo — cum torpore ibi

locum esse, ubi de effectu ultimo (phaenomeno) sermo est.

Cum opusculi hujus objectum sola debilitas erethistica sistat, evitandae inanis repetitionis gratia, simplici »debilitatis« vocabulo illam prorsus intellectam haberi, quam nimia sentiendi facilitas, seu stimuli impatientia comitatur, nobis hic concessum sit.

Illius, qui in processus vitalis quemcunque a norma recessum, hujusque originem inquirere conatur, omnium, e quibus ille construitur, elementorum rationes undique pervestigare, ac illustrare est. Vitam animalem vero, quae phaenomenon, in vegetatione atque incitatione positam esse, iisque existentiam suam palam reddere, ad amussim notum est. Cujusvis autem animati entis processus vitalis cum vegetatione inchoat, ac serius tandem vitae altioris indicia, florum instar emittit. Ut ille, qui, dum marcescere plantam observat, non in floribus, sed horum fulcris languoris quaerit causam: ita medicus debilitatis germina vix non semper in formantis activitatis sinu latere, excubarique deprehendet.

Erethismum potissimum per organorum, vitae altiori inservientium actiones manifestari, ac unice stimulorum habitualium subtractione induci ajunt. Sed quis, qui illorum ad vitam relationem accuratius examinaverit, non tandem illuc perveniet, ut organa stimulorum habitualium actione nutriri eadem fere ratione, ac incitari cognoverit? utque ergo eadem incitamentorum subtractione ipsam reproductionem aegre adfici, indeque imminutum organorum tenorem resultare rite intellexerit? Nonne lux oculi, calor nervorum, aër atmosphaericus sanguinis, hic vasorum eodem jure pabulum, ac stimulus dicendus erit; ut dum lucis beneficium oculis deficit, hos, priusquam

sensibilitatem exinde majorem nanciscantur, languere, nitore suo spoliari, in orbitam retrahi, secretionumque suarum restrictionem, verbo: reproductionis detrimentum pati, observemus. Musculi, cui per neglectum motus exercitium stimulus una cum nutrimento subducitur, antequam tremoribus, motibus convulsivis, aliisque signis incitationem laesam esse indicat, caro relaxatur, attenuatur; ergo et hic compagis firmae ob languentem reproductionem imminutio, irritabilitatem asthenicam praecedit, non sequitur.

Sed concesso etiam eo: subtractione stimulorum debilitatem induci, aliam in re offendimus difficultatem, non, nisi vegetationis justa et principali ratione habita, differendam. Quaeri enim merito potest, qui fiat, ut saepe haud organorum ab incitamentis desuetudine, sed aucta potius et reiterata istorum in illa actione sensibilitas insolita provocetur; qualem oculus v. g. repetita objectorum nitentium contemplatione, organa sensuum internorum nimia eorum contentione, nanciscuntur. Nodum atqui solvet, qui rite perspexerit, incitationis vigorem tunc solum in justo tenore perstare posse, ubi eam adaequata per promptam reproductionem abundans materierum detritarum restauratio secundaverit; sub adductis vero rationibus organa pedetentim penu substrati materialis privari, e quo compages organica, et cum hac sustinendi, renitendique facultas exsurgit. Eandem ob causam imo et organorum inflammationes, etsi in principio processum vitalem omni ambitu exaltatum esse enuntient, erethisticum tandem statum advocant. Frustra ergo sensibilitatis excessum, quem oculorum, glandularum salivalium, mammarum, organorum genitalium, aliorumque repetita ad phlogosim usque irritatio relinquit, a stimulorum subtractione derivare conaretur,

qui majorem rei culpam reproductioni labefactatae imputare negligeret.

Interim alia quoque, et opposita ratione stimuli augmentum debilitatem provocare valet, dum videlicet, actionem vitalem in parte, quam immediate adgreditur, excitando, eandem in aliis organismi provinciis sufflamminat. Debilitatur itaque corpus, dum centralis nervorum pars animi pathematum, studiorum incitamento obruitur; incidit praegnans mulier in magnam non raro stimulorum impatientiam ex eo, quod vitae vigor in uno prae aliis systemate tam potenter exsurgat, placidam in illis nutritionem praeprimis cohibens.

Cum igitur profundiorem erethismi radicem in reproductionis fere infecundae, mancae, aut exhaustae solo degentem deprehendamus, quibus nunc momentis haec sterilitas originem debeat, quibusque internoscatur, examinandum est.

Ad obscura ergo generationis initia hac in re regrediendum esse illico patet, quoniam in corpus vegetationis actu construendum principem impendit natura operam, antequam mirandum incitationis lusum provocet, cujus et incipiens activitas nonnisi reproductionis muneri rite sustentando praeprimis inserviat. Proniti infaustum igitur parentes habitus scrofulosi, phthisici, nervosi donum sub generationis momento infantibus tradunt, ita insimul debilitas erethistica, quae infelicem talem corporis constitutionem vix non semper comitari visa est ad neoformatum transire suevit. Sed laudabile etiam atque integerrimum, etsi matris sinui inseminatum fuerat germen, tristem nihilominus init degenerationem, dum incubationis tempore ob rationes adversas: penuriam, animi pathemata deprimentia, humorum ja-

cturam, aut morbos, matrem lacessentes, in evolutione jucunda retinetur. Tanta vero utriusque momenti dignitas est, ac frequentia, ut longe citius, certiusque, dum aegrotantium vitales rationes eruere volunt, medici ad finem pervenirent, si, quid parentes per generationem illuc contribuisse potuerant, attentiori, quam passim faciunt, animo atque scrutinio perpensarent.

Sed quando infantes a vigentibus quoque parentibus vigentes nascuntur, in continuata educatione ad varios morbos, et saepe etiam ad imbecillitatem insignem transferuntur. Causarum harum originem inprimis in mollitie, et nimio, quo foventur, calore, in victu vel minus selecto, vel sine ordine sumto quaerendam esse constat. Prima assimilationis officina, tractus intestinalis, prima vitae periodo alioquin tenerius constructa, erethismo ergo, ut ita dicamus, normali laborans, nutrimentorum selectum delicatissimum sibi exposcens, cupeptis solummodo recipiendis, et subigendis par, validiora, aut quae materiei nutrienti multae stimulantem junctam habent, aut motu contrario mox iterum per os, vel normali deorsum accelerato per anum expellit; aut aegrius eadem ferens, imperfecte assimilat, fermentare, gas diversa, prouti sub fermentatione extra stomachum accidit, eructare, acidaque varia lacessentia evolvere impotens sinit; quin imo horum acorem proprio, quod irritata vasa fundunt, acido, auget. His non omnibus membranae, iisque subjecta strata muscularia, ac nervi aegre adfici non possunt, id quod spasticis contractionibus, pyrrhosi, colica, cardialgia, borborygmis, ructibus, vomitu, diarrhoea, aut nausea solum, vel appetitus defectu, imminutione, perversitate, ac inordinatis, saepeque dolentibus alvi evacuationibus abunde palam faciunt.

Sed in his solis debilitatis indicia non persistunt. Status morbosi progenies, ultra assimilationis primae provinciam proserpunt, alibi similes, non meliores generando proles. Vasa ergo, glandulaeque totius tractus intestinalis, in eandem abrepta debilitatem, stimulis, etsi non magnis, vehementer tunc agitantur, facile et ubertim humores suos plorant, indole horum passim in manifeste acidam degenerata. Talis est liquor acris saepe et acidus, in ore hypochondriacorum, hystericarumve scaturiens, oxydationis apertae signa perhibens; tale est serum acre, quod colicam et tenesmum in diarrhoea serosa, qua individua erethistica saepe laborant, provocat.

Non alia in iisdem muci, bilis, aliorum humorum natura esse suevit, ut quorum mixtionem a norma alienam sapor odorque non solum, dum evacuantur, acris saepe et ingratus, sed et irritatio, quam partibus inferunt, prodit. Chylus, quem debilia intestina a chymo separant, humoribus illis mixtus ac depravatus porro male agit, novamque debilitatem parat. Mucosum enim, aut acidum acremve, quem viae chyliferae, chymiferas vigore non superantes, suscipiunt, chylum, aut clausis repellunt irritatae, ut videtur, ostiis; aut quem reapse recipiunt, elaborare ad amussim, indoleque perversa privare non valent, quin imo inutilibus ad haec moliminibus vi activa, propellente spoliatae, in languorem incidunt, humore crudo opplentur, infarciuntur.

His sub reproductionis initiis, atque hac constitutione certe non tanta cordis, pulmonumque vis fieri et exsurgere potest, ut laticem, alibi non sufficienter praeparatum sola perfecte elaborare queat; utpote, quae ex chylo pejoris notae nunquam sanguinem melioris gignit, talem nempe, ex quo partibus solidis

sufficiens nutrimentum, et cum hoc robur vitale scaturire posset. Cum cor insuper, atque pulmones prima sint organa, in quae prae caeteris novissimus sanguis, egregia nutriente, stimulanteque virtute fere destitutus, impellatur, in illis quoque prima nutritionis imperfectae, viriumque insufficientium indicia in conspectum veniunt. Cordis ergo tunc actio inordinata, violenta ab omni incitante, exiguo licet, externo, vel indigeno agitatio, motus acceleratus, tremulus, hinc inde retentus, aegrum angens, respiramen suo modo stringens, turbans, arteriarum exinde pulsus frequentes, celeres, inordinati, irregulares, contractiones spasticae, congestiones in varias corporis partes, haemorrhagiae sui generis, calores fugaces primario systematis aëro- et haematophori debilitatem cum adaucta recipiendi facultate enuntiant.

Sed id porro fit in ea vasorum communium sphaera, qua haec in secernentia mutantur; utpote quae partim ob structurae teneritatem immutatum fere sanguinem transmittunt, haemorrhagiis ergo, ut dicunt: per anastomosin, quae singularibus, characteribus internosci queunt, originem multiplam praebent; partim una ob nervorum, quibus eorum secretio regitur, abnormem activitatem, humores, quibus secernendis inserviunt, uberiores, consistentia, colore, mixtione alienatos, depravatos proferunt. Inde luxurians lacrymarum, salivae, muci, lactis, spermatis, mensium, aliorumque secernendorum, non eadem semper indole, ac dum e vasis, seu organis paralyticis fluunt, praeditorum, fons.

Cum et ex musculorum nutritione imperfecta, qua fibra eorum non satis densatur, gelatina non omnis in fibrinam convertitur, partiumque fluidarum major justo proportio advehitur, vis quoque eorum re-

nitens, actionisve constantia eatenus infringitur, ut stimulis etiam levioribus in motus celeres, inutiles, irregulares, contrarios abripiantur. Nascituri exinde tremores, motus convulsivi, convulsionesque, et spasmi clonici debilitatem fere pedissequam habent, quae major longe, quam e praegressa motuum intentione derivanda foret, eo ipso originem suam palam facit.

In organismo sic constituto partes, membranasque organorum internorum carnosas, mucosis intertextas eadem prorsus ratione se habere, iisdemque passionibus subjectas esse illico patet, cum stimulis ne multum quidem peregrinis sternutationem, tussim, ructus, vomitum, diarrhoeam, cardialgiam, colicam, stranguriam, tenesmum provocari videamus.

Abnormes vero hos motus nunquam absque nervorum gravi, et, ut exactius dicamus: primaria affectione incedere, sensationes ingratae, et dolorificae modo enumeratae testantur. E communi hae debilitatis fonte, seu nutritionis restrictione scaturiunt, qua insimul nervorum actio vitalis immutari, soliditas, et vigor restringi debet. Tenuem ergo et teneram eorum pulpam stimuli facile, et celeriter permeando sensationes vividas, nimiasque gignunt, atque similem in parte centrali reactionem provocant, quae ob substrati materialis penuriam, aut imperfectam conditionem mox exhausta, ac prostrata externorum impulsum jam non sustinere valet; vel perverso plane, ac contrario virium lusu, impressiones, ab illis, quae objectis reipsa respondent, alienas, recipit, atque menti deceptae offert. Ex hac facilitate quidem imaginationis vivacitas, judicii acumen, laudabilis in rebus, rationibusque implicatis perspicacitas derivanda; sed eidem etiam animi affectus cito excitandi, judicium praecox, voluntatem saepe ad actiones frustraneas,

noxias abripiens; ratio a profundiore rerum scrutinio, ac meditatione aversa, mentis inconstantia, eidem praeprimis coenaestheseos exaltatio, mutationesque singulares imputandae veniunt.

Haec omnia ergo ex reproductionis illo vitio proveniunt, sub quo appositio, quam bona sibi corporis evolutio, perfectio, ac virium per motus organicos dispendium exposcit, retinetur; ast ad ultimam quoque in vita vegetativa functionem descendendum est, ablationem nempe atque excretionem, dum omnes, unde debilitas erethistica profluit, noscere volumus fontes. Cita enim materiei organicae ex nimia processus vitalis intentione consumtio, humorum sive necessariorum ad nutritionem modica, sive adjuvantium solum aut excernendorum nimia evacuatio non minus organismum in debilitatem conjiciunt, quam si reproductio jam a principiis functioni suae languens defuisset. Non hic, ut iis, quae a sana ratione per se intelliguntur, enumerando supersedeamus, meminisse volumus noxarum, quas chyli, lymphae, sanguinis jactura semper et necessario adducunt, quoniam ex iisdem corpus proprie et immediate nutritur, sed aliorum, eorumque minus nobilium humorum, ut: salivae, bilis, sudoris, urinae per varias causas nimium auctis excretionibus virium robori quam plurimum detrahi dicimus. Etsi enim lympha bona non semper in colatoria vertatur, nimia tamen humorum quoque supra dictorum evacuatio elaborationem veram humorum prope nutrientium impedit, maciem, et cum ea debilitatem inducit. Hinc mala illa, quae ex depravata consuetudine, et abusu medicamentorum, has excretiones depuratorias promoventium ubertim profluunt.

Haec sufficiant, ut demonstratum habeatur, quo modo corporis sensibilitas nimia, etsi in systematibus

altioribus, eorumque functionibus, voluntatis regimini subditis in conspectum primario veniant, remotam tamen originem in ipsius vegetationis laesae principiis, organisque, huic praeprimis inservientibus, latere arguat.

Interim et aliam, eamque contrariam rei causam rei subesse non infrequens observandi occasio est. Ubi mentis solum non ea cum prudentia colitur, ut omnes ejus provinciae eodem vigore floreant; ubi organorum moventium rectum regimen, roboransque exercitium negligitur, id quod inter civitatum opulentiorum incolas malthinos praeprimis accidit; ibi debilitatis cum excedente sensibilitate unio inde e vitae animalis sinu emanat, bonae nutritionis fontem mox occludens.

Opportunius hanc circa rem dicere nobis visum est eo loco, ubi, de eo, quid perversum vitae genus, pravaque consuetudo ad debilitatis genesim conferat, sermo erit. Specialius enim nunc, atque rato ordine momenta pertractanda veniunt, quibus processus vitalis sub utraque specie eum in modum regitur, modificatur, determinatur, ut in debilitatem erethisticam incidat. Hoc respectu ipsa generatio, aetas, sexus, corporis constitutio connata, aut per vivendi rationem, consuetudinum vim, morbosque immutata maxime agunt; qua ex causa illis, quomodo erethismum producant, et una arguant, seorsim nunc eruendo laborem impendemus.

A parentibus ad proles corporis, viriumque non solum bonas dotes, sed et abnormes transire jam supra meminimus; ultimas frequentius: in pleno enim et jucundo vigore constituta arbor fructus hinc inde jam mancos protulit, marcescens vero nunquam alios. Tanta autem nobis hujus rei veritas constare videtur, ut observationi simul innixi a matre sensiliori vix unquam filias alius naturae progigni existimemus, etsi

has exinde, quod diu potissimum, ac continuo circa illam versentur, maternae tandem indolis participes *fieri* non simus obliti.

Caeterum systematis nervosi, seu illius, quod principem erethismi constituit sedem, dotes praeprimis a genitrice ad proles, et hos inter ad filias prae filiis transferri, frequens docet observatio. Cum rapidiore, ast minus firmo, quo prima aetate reproductionis functio incedit gressu, naturali quadam lege promptam aeque, sed infirmam partium irritabilium incitabilitatem parem passum servare dudum intellectum fuit. Prima ergo juventute corpus tenerum, molle, organicae metamorphoseos alacritate jugiter immutatum stimulis levioribus facile exagitatur, nervorum distentiones instantanee experitur, motusque vitales, virium penum mox exhaurientes, veloces, inordinatos, interitum tenello praeparantes, edit.

Magnum quoad robur infringendum hoc loco respectum praeceps ante pubertatis tempus, aut sub hoc corporis incrementum, meretur. In illis videlicet, qui ob egregium incrementum longo, sed graciliori corpore instruuntur, proportio partium interdum et simul virium praestantia desideratur. Dummodo vero augmentum aequale et succussivum et regimen diaetae in universum accuratissimum est, corpora non laeduntur, sed subinde etiam auctum vigorem in extremitatibus et universis ossibus, musculisque acquirunt. Accidit vere, ut interdum decimo quarto vel sexto anno intra breve veluti semestre, aut annuum temporis spatium juvenes celeriter crescant, et inprimis diaphyses ossium ultra modum elongentur, ex qua causa optimi succi nutritii copia ad has partes derivatur. In his igitur jam aliquis sensus osteocopus, sive molesta tensio in osse ipso percipitur; major tamen in epiphysi-

bus et articulis, quibus vera vis ad extensionem aequalem subtrahitur. Maxime autem denegatae nutritionis vestigia in musculis et visceribus apparent. Ossibus circumpositae carnes graciles sunt et flaccidae; hinc dispositio ad motus difficilior est, ut, si etiam moderatus sit, lassum tamen, atquè defatigatum corpus efficiat.

Haec certe incommoda ex gelatinosa sub ea periodo elaboratione, quae in cellulosa tenera musculorum absolvitur, sed minus recte succedit, derivanda sunt. In his quidem ad sanguinis quoque tenuitatem, et effectus cunctos, quales ex tali in structuram, et actionem vitalem emergunt, concludendum sane erit.

In viscerum contextu celluloso non alia fiunt; pectus enim compressum et abdomen contractum satis monstrant, flacciditatem et inertiam viscerum ibidem collocatorum hujus phaenomeni causam esse. Quemadmodum sub celeri corporis incremento leviores saepe diaetae errores debilitatem inde oriundam vehementer augent: sic etiam adolescentem ad juvenilem aetatem aequo et firmo corporis augmento progredientem, aliae et graviores causae maximopere debilitare possunt. Indicemus primo contentionem nimiam studiorum quae magis nocet, quam corporis strenue susceptus labor. Etsi vero illa, ut via ad summam animi excellentiam acquirendam omnibus commendari debeat; sciendum tamen est, in omnibus, et in imbecillis praecipue moderamen aliquod tunc servari prudenter debuisse, cum corporis, in incremento versantis firmandi cura habenda erat.

Itaque non absque fundamento effari licet, insolitam in junioribus, atque tenerae aetati non respondentem notionum, et reliquorum, quae praematuram mentis culturam produnt, indiciorum ubertatem vix non semper erethismum arguere.

Ea aetate, qua organorum pectoralium vita potentius exsurgit eorum quoque incitabilitas adaucta emergit, quae cordis, vasorumque majorum activitatem impetuosam, sanguinis nimiam mobilitatem, facilemque e vasis eruptionem, non rarius sane ab imminuto, quam ab excedente vasorum vigore derivandam, gignit. In prudenti vero, et arguta utriusque status distinctione omnis, dum ambiguae tales organorum pectoralium affectiones tractandae veniunt, cardo rei versatur. Ad optatum autem finem ille solum perveniet, qui et reliquorum omnium momentorum insimul accuratissimam ponderationem instituerit.

Dum sub ipso pubertatis ingressu partium, generationis functioni dicatarum vita emanat, per arctum, quem illae tunc cum organis imaginationis et phantasiae ineunt, nexum, universos nervos peculiari tensione sensibiliores evadere, plurimi juvenes experiuntur. Impetum igitur, quo in istis motus vitales saepe erumpere observamus, non minus saepe nervorum mobilitati majori, quam virium juvenilium excessui adscribendum esse per rationem supra dictam monemur; idque eo magis, dum juvenes conditionis superioris, quos educatio emolliens, lectio fabularum milesiarum, eroticarum, consortium seducens ad statum erethisticum praeparat, coram habemus. Maxime autem, et non ex his solum rationibus, sed ob eam naturae institutionem, qua in mulieris uterum, dum hujus functio incipit et viget, a reliquo universo fere corpore activitatem derivat, pubescentes puellae adficiuntur. Etsi quidem id maturioribus accidat quoque foeminis, tiranculae tamen prae caeteris tantam circa primam menstruationis periodum, et proximas insequentes sensilitatem offerunt, ut plurimae erethismi verae imagines dici queant. Chloroseos, hysteriasis, menostasiae, affectio-

num spasmodicarum, totque aliarum ex illo fonte propullulantium frequentia rei veritatem confirmat.

Aetate virili aliae evadunt, et immutatae plerumque incitationis rationes, sub quibus illa validiori resistendi, atque reagendi potestati locum cedens, actiones vitales moderato quidem, ast constante vigore perficere sinit.

Rari tandem existunt senes, provectiore aetate pressi, in quibus virium decrementum cum imminuta recipiendi facultate, ac languente motuum torpore junctum non sit.

Quales e sexus discrimine in vitalibus rationibus, viriumque proportione differentiae emergant, aperte nimis patent, quam ut largiore hic earundem expositione detineamur. Uti in viro irritabilitas cum per- et resistendi virtute, ita sensibilitas in muliere, atque materiae organicae tenerioris assidua immutatio praevalet. Familiariores itaque foeminis longe sunt morbi, qui ex nervorum adaucta incitabilitate petuntur: spasmi, sensuum hallucinationes, algemata, nevrosesque tot, quae in sexu debiliore animi passionum generatrices, aut suboles constituunt. Ii vero, qui pari fere ratione viros, foeminasque prehendunt: exanthemata, febres, haemorrhagiae, dum in illis synochae naturam plerumque assumunt, in his erethismi faciem induere malunt.

Manifestior haec insuper prodit sub iis foemineae vitae periodis, quibus functiones sexuales super reliquas sibi imperium vindicant. Eam mensium instantium, aut fluentium supra jam memoravimus.

Licet non paucas benigna natura gravidas admiranda, qua externas potentias subigant, aut repellant, facultate instruxerit: eam tamen, ubi utero gerunt,

periodum fertilissimam in erethismi maximis, singularibusque phaenomenis proferendis esse quivis scit.

Gravidae non sibi solum, sed etiam foetui in utero contento nutrimentum parant. Sanguinis nimirum, et reliquorum humorum circulatione peracta, optimos succos lymphaticos in corpus foetus tenelli distribuunt, et haud raro sibi ipsis praeparatam hanc nutrimenti intimi partem detrahunt. Non tantum foeminae a nativitate imbecilles, sed et illae inprimis, quae in juniore aetate, antequam plenariam nutritionem et confirmationem corporis acquisiverunt, gravidae fiunt, ita dispositae sunt, ut non sibi, sed foetui potius succos nutritios tradant: et quamvis ex alimento idoneo succis sat copiosis repleantur, illos tamen ad amussim elaborare ac perficere nequeunt, quod vis nervosa in fibris minimis conspicua, defuit. Hanc enim, ut jam alio loco diximus, uterus, summam tunc, quam tantum agere potest, vitam vivens antagonismi lege reliquo organismo subducit.

Idem etiam iis fit, quibus lochia fluunt.

Transfertur autem focus sensibilitatis ad mammas ab utero eo, quo foeminae lac dant, tempore; ad primam denuo, et tandem sedem, quando climacterici anni imminent, revertens.

Corporis constitutionem, individuis sensibilioribus familiarem ex reproductionis inprimis vitiata functione prodire, per factam hujus alio loco disquisitionem innotuit. Restat hic, characteres, quibus debiles natura insignivit, ennumerare. Juste autem distinguunt duplicem corporis constitutionem, sub qua irritabilitas major una cum virium defectu abscondita latet: alteram sanguineo — arteriosam — nervosam aliam. Illa juniores passim donantur, antequam corporeae perfectionis metam attingunt. Produnt vero eandem: corpus

tenellum, velox saepe in altum incrementum, collum elongatum; pectus complanatum, celeriter respirans, sed facile angore constringendum; cutis lucidae, tenerae, mollisque frequens, ac repentina quoad temperaturam, secretionemque alternatio; artus graciles; manuum perpetuum fere, dum interna facie madent, frigus; capilli fulvi, molles, parum elastici; dentes lacteo-albi, saepe minus conferti, laesionibus, et cariei obnoxii; facies aeque prompte erubescens, ac decoloranda; oculi glauco plerumque, aut badio pigmento tincti, nunc modico micantes splendore, nunc languentes in orbitam retracti. Prae venosa arteriosum praevalens systema, sanguinem, multum quidem, sed pauca fibrina foetum, floridum, tenuem, vivaci propellit, ast non constante activitate; a cordis in his individuis per levem quemvis stimulum praecipitato, auctoque motu instantanee in similem abripiendum; id quod arteriarum pulsu frequente, inconstante, vigore tamen ac duritie raro notabili patefit. Eandem ob causam secretiones largae sunt, et aquosae; facile tamen, ubi insolito, aut majore quidquam stimulo proliciuntur, acrem assumunt indolem.

Cum tali corporis compage, temperamentum, quod sanguinicum, sive irritabile (variabile) dicunt, necessario junctum esse cernitur.

Alia, qua erethisticorum multi plectuntur, corporis constitutio, nervosa est, quam praeponderans nervorum, repressa in aliis systematibus, vita gignit; quamque per summam illorum mobilitatem, ac nimiam saepe, singularemque, qua externarum potentiarum impulsum suscipiunt, facilitatem, cognoscere licet. In climatibus fervidis utplurimum occurrens, sub nimiis mentis contentionibus, animi pathematibus, vigiliis, evacuationibus evolvitur. Foeminis caeterum proprius,

ac viris appertinens, easdem potissimum pallidas, leucophlegmaticas, obesas non raro, sed carne teneriore, marcida instructas sistit. Facies, in multis formosa ac amoena, melancholici quid plerumque exhibet. Cutis, minus, ac in individuis arteriosae constitutionis rosea, ac candida, magis spongiosa vero, et sicca, horripilationibus frequentius corripitur. Pulsus in genere debiles, parvi, molles per vile omnino incitans externum, internum in rhythmo confunduntur, arteriis simul spastice constrictis. Major, quam in sanguinicis, motuum imbecillitas, faciliorque delassatio; major spasmorum frequentia et impetus; praevalet sensuum externorum hypercinesia, ac promtissima coenaesthesis exaltatio. Restricta vero cernitur secretionum, iis muci, lacrymarum et adipis fors exceptis, copia.

His corporeis rationibus temperamentum melancholicum magis respondet.

Nequaquam autem utraque constitutio tamaretis seorsim limitibus circumscripta ubique invenitur, ut non una alterius quosdam characteres vindicans, hujus pro parte indolis particeps reddatur. Utriusque vero naturam magis illustrant ac confirmant: imaginationis alacritas; phantasiae prompta exsultatio; major memoriae facilitas, quam retinendi dos; eximium saepe quidem ingenii acumen, judicium tamen praecox; ratio a profundiore rerum scrutinio, ac meditatione aversa; animus summe mobilis, aeque facile offendendus, ac reconciliandus, diversis intra breve tempus, iisque saepe contrariis affectibus jactandus, diffidens, timidus fuco perterrendus, amoribus deditissimus; zelotypia, vanitate, honoris cupidine, absque eo, qui ad scopum duceret voluntatis vigore perseverante, misere saepe agitatus; uberrimo lacrymarum fonte proprias,

sed et aliorum calamitates, quin energiei quid suscipere imbecillis tentet, exstinguere adnisus.

Vitales hominis rationes non aliter, quam eae caeterorum animalium, plantarumve, multum et aperte per climatis diversitatem mutationem patiuntur. Firmatur sub frigidiore musculorum robur, moderatur nervorum sthimulos recipiendi facultas, quam calidius, illud infringendo, exaltat. Luculentissime id sub epidemico in utroque morborum proventu patet. Ex systematum irritabilium enim sthenico, seu synochali affectu plurimi eorum, qui sub borealis coeli imperio gentes infestant, emergere observantur; dum torrentium regionum incolae nervorum, aut organorum, his ditissimorum, passionibus ex eo potissimum subjiciuntur, quod eorum corpora urentis sideris, nerveum systema prae ceteris adorientis, ardore tam diu macerata, atque irritata, tono tandem, solidaque compage priventur, et sic in eam debilitatem conjiciuntur, cujus poenam semper nobilissimum systema primo luit.

Iidem tamen effectus, quibus climatis vis in diversis regionibus se manifestat, proveniunt in una, eademque ex immutatis anni temporibus; e quibus aestatis illud praeprimis est, sub quo in plerisque, relaxato fibrarum tono, infractaque renitendi virtute morbi manifesti erethismi faciem induere sueverunt.

Exiguus nihilominus illorum est numerus, quos ex haereditaria vel connata corporis constitutione, aut ex climaticis, aliisque inevitabilibus rationibus natura imbecilles esse voluit: si illorum agmen perlustremus, qui ob perversum vivendi modum, pravasque, ad quas seducuntur, aut sponte se habent, consuetudines, semet ipsos optimis, quibus a natura benigna abunde donabantur, viribus, incaute temereque spoliant. Illud autem vitae genus inprimis altiorem sensibilitatem gi-

gnit, per quod corpus, animusque emollitur; etsi contraria saepe ratione ii quoque, quibus teneritudo haec connata est, exinde ab activo ac roborante vitae modo prorsus abhorrere, atque in relaxante potius, et emolliente corporis fotu nimios tum primum fieri, non ignoremus; ut igitur duo illa momenta semet invicem plerumque sustentent.

Omnem certe culpam infelicis illius in sybariticum vitae genus proclivitatis in parentes, educatoresque conjicimus; cum tam saepe tenellos jam ab iis infantes perverso, ac naturae legibus plane contrario regimine curari, eoque prima parvulorum corpusculis debilitatis germina inseminari, observemus. Educatio enim prima, qua infans neonatus nimio fovetur calore, cutis nimia balneorum calidorum frequentia maceratur, beneficium liberi aëris ad corpus accessus arcetur, nutrimenta continuo illius ventriculo liquida, nec increscentis digestionis viribus accomodata, potulentaque calida, membranarum in tubo intestinali tonum pedetentim relaxantia offeruntur; praematura mentis infantilis per studia intentio, qua saluberrima una corporis adolescentis, artuumque exercitatio negligitur; phantasiae per fabularum narrationem exaltatio, bonam juvenilis organismi evolutionem omnino tantopere retinent, ut necessario tandem ferendis potentiarum externarum impulsionibus reddatur impar.

Sic male praeparatus ad eam, qua sexualis vita evigilat, pervenit aetatem, — Amor tunc, rationis plerumque legibus non obediens, vagis, frustraneisque desideriis nascens, infelix, lectione poëmatum eroticorum perversam saepe directionem nactus, phantasiae organa jugiter lacessendo, eoque actionem vitalem in reliquis sensorii partibus supprimendo, harmoniam tandem functionum, ex quo processus vitalis integritas,

ac organismi robur exsurgat, turbat, tollit; uberrimumque sic cachexiarum, nervosarumque passionum fontem in juvenculis aperit. Inde frequentissimus adeo in virginibus altiorum praecipue classium chloroseos, blennorrhoeae, hystericarum affectionum, spasmorum, somnambulismi proventus; inde tantae, qua affliguntur, a mensibus retentis, suppressis, nimiis, inordinatis, dolorificis molestiae, quae etsi erethismi saepe proles, hunc tamen non minus saepe, tenellam alioquin machinam debilitantes, generant; generatum prorsus augent.

Maxime tamen conspicua debilitas in morbis juvenilis praecipue, sed etiam virilis aetatis ob immoderatam spermatis excretionem percipitur, quae in sexu potiori longe frequentius, ac evidentius quam in sequiore veneris exercitium nimium excipere cernitur. In nimia enim et saepe coacta spermatis evacuatione, non solum macies et tabes defectum succorum gelatinosorum et lymphaticorum, nutritionem blandam efficientium inducunt: sed reliquae etiam actiones, per vigorem sustinendae, maxime languent. Functiones corporis, quae in digestione primarum viarum chylum bonum praebent, et sanguificatione postea peracta, elaborationis humorum reliquorum, atque pendentes inde secretiones moderatas reddunt, tum non, ut decet, perficiuntur. Nutricius enim humor vel parcius, vel non in ea bonitate elaboratur, ut vigorem elasticum recte confirmet; sed variae potius cacochymiae, in primis et secundis viis subinde collectae, succum nutritium tandem inficiunt, et fibris minimis blande nutriendis minus idoneum reddunt. Si nunc ex altera parte fluidum nerveum non recte secretum functionibus universalibus subtrahitur, et praeterea sub violentissima nervorum vellicatione per effreni veneris exercitium plus justo pretiosissimi humoris dissipatur, languidi juvenes ad adultam aetatem transeunt,

et causas morborum etiam leviorum, quibus saepe invaduntur, superare nequeunt. Deficit hos continuo mentis vigor, memoria tenax, animi constantia; conspicue in dies juvenile marcescit corpus; crura vacillant, saepius convulsivi motus, interdum habituales epileptici succedunt. Sed non universale solum robur infringitur, sed specialia quaedam organa: respirationis inprimis, visus, auditus maxime laeduntur, quin de summa, in quam generationis organa primario conjici debere per se intelligitur, labe, loquamur.

Observatio est: illos, qui in juniori aetate in castris venereis strenue, et, ut illi tunc temporis arbitrabantur, sine virium detrimento militarunt, moderatiore vitae genere electo, ad aliquam quidem obesitatem, quae humorum plenitudinem prodebat, accessisse, in interno tamen vigore insignem defectum sensisse.

Horribili, et longe majori, quam dum venere abutuntur incaste juvenes, celeritate ad interum properat organismi vigentissima etiam compages, ubi nefando masturbationis opere in proprium crudeli manu saeviunt corpus.

Nec tamen libido sola est, quae energiam illam vitalem demit; sed incoveniens quoque juvenili naturae abstinentia a necessariis, salutaribus, et moderate incitantibus vitae gaudiis impatientiam tandem erga quodvis ex iis gignit. Anachoreticum ergo vitae genus, animique per ideas tristes, metaphysicas, fanaticas detentio; aut aliae quaelibet indefessae nimis meditationes; eminenter autem eae, circa quas mens invito, vel renitente animo versari cogitur, hypercinesiae fundamenta non raro struunt. Lente quidem: irreparabili tamen fere damno, alter virium vitalium infensus hostis; otium videlicet, harum radices suffodit; quoniam per neglectum corporis, facultatumque psychicarum

exercitium, optimi, quibus processus vitalis lentori excitans, acceleransque impertitur impulsus, denegantur — majore sane, quam durus labor excubare posset, detrimento!

Hujus loci est commemorare, quod foemineam sensim naturam, inertiam, ac sensibilitatem sibi acquirant illi, qui mulierum consortium nimis quaerentes, inutilibus, virique indignis plane inter has occupationibus, ac oblectamentis pretiosum tempus terere consueverunt.

Sensuum externorum aequabili, moderatoque exercitio non facultas modo eorundem, qua potentiarum externarum impressiones recipiunt, ac assimilant: sed potestas simul resistendi nimio illarum, quibus nonnunquam obruuntur, impetui, acuitur atque confirmatur. Multi vero, dum unius solum — neglecta interim, per quam reliqua sensuum organa pari passu perficerentur, cultura — functionem suscipiunt, haud minus illi, ob nimiam ejusdem adstrictionem, quam his, quibus necessaria excitatio deficit, damnum inferunt.

Parum igitur haec atria, nimis patula, externorum invasionem praepedire queunt, magnamque, quam per ista forte experiuntur, irritationem, jugiter ad sensuum internorum organa, atque exinde ad universum nervorum systema conducunt; ut ergo sensuum externorum hypercinesia jure nunc mater erethismi in universo corpore emanaturi dicenda, nunc ad evidentissima, quibus idem status se prodat, signa referenda sit. Ob tantam hujus rei dignitatem, originem ac phaenomena sensibilitatis in iisdem organis excedentis, parumper accuratius perlustrare concessum sit.

Illi, qui cutim nimio calore fovent, balneis tepidis ultra necessitatem macerant, blandis unguentis emolliunt, aërisque nutrientis ac roborantis accessum solli-

cite arcere adnituntur, hyperaphiam, veramque imo aërophobiam nanciscuntur. Talibus cutis tenera, mollis, candida, transparens fere, ac venarum decursum caerulea passim pictura demonstrans, sub exiguo quovis caloris decremento horroribus stringitur, livet, aut, majore quidquam frigore pallescens, ubi aëris accessui patet, in bullas elevatur, secretionisque officium libenter internae tunc cuti tradit. Altiore autem temperatura mox uberrimo, in laxa, teneraque vasa irruente, sanguine inundatur, coccineum fere in genis et collo colorem induens, prae sudoribus diffluit. — Exanthematum non minus, ac fallacium sensationum: punctionis, ustionis, pruritus, titillationis sensum, aut plenariam normalis abolitionem mentientium fertilem agrum constituit.

Omnibus his indiciis non cutis solum, sed internarum partium magnam sensibilitatem enuntiari mox is perspiciet, qui intimas organi illius rationes physiologicas rite intellexerit.

Nobilissimum visus organon illatarum, sibi non solum, sed et aliis partibus, per nimium aut neglectum exercitium, injuriarum poenam luens, localem et universalem passionem luculentius, ac alii loci possunt, et fideliter patefacit. Tensio enim, pruritus, spasmi utriusque generis, palpebras vexantes, aut inflatio earundem ac rubor; lacrymatio facilis; myosis et hippus; photophobia, photopsia, oxyopia, phantasmatum diversissimorum visio, erethismi sedem non minus saepe ad oculum restrictam, quam ad integrum organismum extensam esse indicant. Sed maxime id dignoscitur ex ipso oculi adspectu, internorum nempe affectuum locupletissimo teste, cujus effatis prae reliquis auscultare natura docet, atque sagacissimi monent medici.

Auris internae excedens sensibilitas rarius iis, quae illam directe debilitant, causis, quam quibus id praevie in universo corpore fit, provocatur. Oxyecoiam vero, ac tinnitum aurium, eminentibus et fere constantibus, prouti in hystericis, hypochondriacis, aut febre nervosa versatili detentis observandi frequens occasio est, erethismi signis adnumerare licet.

Qui aromatum stimulo narium nervos frequentius vellicant, aut potu multo, calido nimium, ac stimulante, membranae ex cavo oris in illas propaginem emolliunt, hyperosmiam sponte sibi parant. Ast haec saepe progenies et symptoma generalis sensibilitatis dicenda erit, quae tantopere nonnunquam olfactus sensum acuit, ut moderata, in eum impellentia odoramenta cephalaeam, varios nervorum affectus, animi imo deliquium producant. Nec alterius indaginis est ea olfactus perversitas, qua fit, ut ingrata quoque effluvia olida a quibusdam cum voluptate quadam quaerantur, quin et cum virium recreatione recipiantur.

Hypergeustia, frequens hyperosmiae comes, eandem cum hac agnoscit originem.

Si, cur ex nimia per varias causas corporis integri emollitione sensuum prae reliquis organa adficiantur, curque unum, seu alterum ex his, cutis v. g., nidum, in quo erethismus excubetur, constituere queat, quaeratur: in communi omnibus foco, coenaesthesi videlicet, rei causam latere censendum erit. Ex illo enim emanant mirae antagonismi atque consensus illae manifestationes, quas in hominibus sensibilioribus continuo suscitatas, ac fideles adeo ejusdem status comites observamus: ut exaltatam coenaesthesim, aliis non praetervisis signis, maximum omnium erethismi symptoma constituere nemo non consentiat.

Primum vero ex oblatis per coenaesthesim abnormen indiciis respectum meretur debilitatis sensus, quem motuum omnium comitem aut pedissequum erethisticorum plurimi incusant; quemque genuinum esse, atque ab alio, virium incarceratarum suppressione oriundum, perpensis reliquis rite individui rationibus internoscere poteris.

Proxime temperaturae, repentine, ac saepius immutatae perceptio vagam in debilibus nervorum actionem, injustamque sanguinis distributionem arguunt. Frigent nimium sensiles, dum esuriunt, sed et satiati; somnolenti, et evigilantes; horrent instante quocunque quem exspectant, eventu; exigua quavis externi caloris, imminutione, aërisque moti afflatu, — incenduntur vero moderatissima aromatis, aut stimulantis potulenti dosi, leni animi motu, sermocinatione; aut, quod saepius: his omnibus molestam, et reiteratam frigoris cum aestu alternationem experiuntur.

Sunt, qui nimia in se ipsos, pravaque consuetudine, seu educatione confirmata indulgentia, cuilibet corporei sensus adfectioni tantopere se dedunt, ut continuas fere, et objectivis nequaquam signis suffultas de aegritudine, cephalaea, aut diversorum locorum pruritu, titillatione, doloribus, angore, inauditisve plane sensationibus querelas movere ament. Alii singulari protinus, qua quibusdam personis, aut rebus aversantur, vel favent, extasi correpti tenentur. Criticum omnium examen emendicatorum ab imaginatione malorum fontem revelabit.

Activitate organorum sensuum externorum — internorum ultra modum intenta, somni, seu maximi, quo vitae bona temperies servatur, medii, rectae rationes magnopere perturbantur. Quamquam enim eos, quos moderatus labor defatigavit, benignus mox refi-

ciat somnus: ii tamen, qui nimiis sensuum operationibus debilitantur, minus tranquille dormiunt; in illis scilicet vel nullus vel modicus, exiguus, insomniis horridus somnus est; quoniam ideae nimis vivide agitatae, placidam illam dispositionem corporis, qua somnus allicitur, non admittunt.

Atqui non melius sibi consulunt, qui protracto ultra necessitatem somno, aut segni solum in lecto cubitu optime vires confirmari autumant; quid quod iisdem, cum diuturno fotu, ac lecti calore corpus emolliatur, sensibus internis et externis roborans exercitatio, maxime necessarius musculis motus, sanguini restaurantis aëris renovatio deficiat, plurimum potius detrahatur.

Mentis indefessam, severamque ad studia adstrictionem in corporis magnum detrimentum suscipi, jam iis locis, ubi de praecipitato adolescentium incremento sermo erat, diximus. Vix minora exinde et viris minantur pericula. Nimia animi defatigatione reproductionis machinam primo pessumire ex functionum illius repentino lapsu, productorumque imperfecta conditione evidenter conspicitur. Alia incommoda, ut: memoriae labefactatio, aurium molestus susurrus, caligines, corporis tremor cum vertigine, morositas aut moestitia in principio vix attenduntur; crebrius tamen his affectionibus vertiginosis tentati, non solum post accessum ejusmodi agitationis aliquam debilitatem persentiunt: sed habituales quasi imbecillitates systematis nervosi sensim patiuntur, quae languorem motuum voluntariorum efficiunt, et in omnibus corporis actionibus, leviori interdum causa data, facile revertuntur, diuque subsistunt. Ex perversis his corporis et animi mutationibus malum hypochondriacum subnascitur, quod in principiis suis non raro ex imbecillitate viscerum ab-

dominalium oritur, sed paulo post systema nervosum debilitate quadam, quae singularibus symptomatibus conspicua est, efficit.

Minime autem eruditorum vitam tantam, et inde saepe nascituram debilitatem inculpabimus; sed omnes illos eadem plecti videmus, qui meditatione nimis intensa, vel diutius protracta proprium corpus lacessunt. Praeter illos enim, ii etiam, qui moerore et tristitia pressi, ideas ingratas, diutius animo obversantes, habent, minima animi perturbatione ac defatigatione adeo imbecilles fiunt, ut morbosis motibus non, ut decet, resistere possint.

Summum vires vitales in motus muscularis sedulo, ac sub dio suscepto labore, vel jucundo exercitio fulcrum habent. Labuntur protinus, ubi eodem per insanam in cubilibus continuo degendi consuetudinem, turpeque otium orbantur.

Iis, quae in opusculi principiis circa incongrui ciborum selectus potestatem in progenerandam debilitatem adnotata inveniuntur, hic adnectimus: illam non omnino tot inter homines disseminatam fore: nisi potulentorum calidorum, stimulo diu rodente tandem corpus enervantium, coffeae praeprimis et theae tantus abusus, ingens certe et manifeste perniciosus, fieret. Calore, quo imbuunter, pedetentim integri tractus intestinalis membranas sensiliores, fibras earum musculares laxiores reddunt; expansivo nervorum principio nimium addunt, acceleratoque humorum circuitu, horum inaequabilem per vasa impotentia distributionem, vagasque congestiones efficiunt, ac multo, quem e cutis vasis capillaribus incitatis extricant, sudore, hanc non minus, ac internam, emolliunt. Sed et mole sua, qua ingeruntur, magna membranas jugiter extensas tono spoliant, organorumque, quibus functionum, mo-

tuumque liberum exercitium restringunt, activitatem positivam, et resistentiam tandem sufflamminant. Singulari insuper, quae e principio resinoso, quo scatent, et aromatico emanat, potestate sanguinis torrentem ad vasa abdominalia alliciendo, uterinum praeprimis systema adoriuntur, e quo, tamquam e communi malorum foco, fatalis illa sensibilitas late et evidenter supra foemineum diffunditur organismum. Quantopere igitur in regenda mulierum, aromaticis, tepidisque potionibus amicissimarum diaeta, momentum, ut primo aspectu videtur, subordinatum, respicere oporteat medentem, brevis praedictorum contemplatio ad amussim monet.

Accidit tamen et aliis, ut dum asueto sibi ab olim dilectorum aromatum, aut potulentorum usui valedicere volunt, tum primum atque extemplo in magnam debilitatem, variis symptomatibus nervosis, iisque sat gravibus nonnunquam stipatam, conjiciantur.

Non minus autem incongruorum ingestio, quam perversa, qualem munere quodammodo impositam sibi esse multi putant, evacuationum arteficialium consuetudo nocet, quae corpus utriusque generis debilitati tandem non tradere nequit. Vulgatissima inprimis illa vituperanda est, qua non adeo saburrae immobilis, ac morosae evacuandi, sed sanguinis, ut ajunt, depurandi gratia indefesso intestinalem tractum labore purgantibus, iisque salinis potissimum adoriuntur; atque sic bonorum humorum, qui vel ipsi nutrimenta sunt, vel his subigendis, praeparandisque inserviunt, penum subducendo, non partium modo debilitatem induunt, sed sensiles isthoc redditas stimulo insimul acri lacessunt.

Alii melius saluti prospexisse sibi videntur, dum malorum fomitem, quem periodice in vasis haemato-

phoris collectum iri contendunt, per sanguinis evacuationes, ratis temporibus institutas una cum hoc e vasis educunt. Nil certe dolentius, ac tristis, quam omne quidem aevum, sed maxime nostrum, offert, observatio: immeditatis, intempestivis et insanis pretiosissimi humoris profusionibus tot inter homines irreparabiles strages edi, levioribus malis, quae aliter ac venaesectionibus profligare nec cogitant, nec sciunt, gravissima addi; sicque futurae omne sanitatis fundamentum impie subverti; ut ergo jure morborum, charactere erethismi notatorum majorem numerum nefando illi tractamini originem debere, multi contendant.

Melior sors vix instat iis, qui nobilioribus quidem parcentes humoribus, sedula tamen diapnoicorum, aut diureticorum ingestione res sibi infensas per respondentia colatoria prudentius expellenda esse judicant; quo facto non integri sensim corporis debilitatem tantummodo: sed et specialius renum, atque cutis continuo maceratae morbosam irritabilitatem sibi contrahunt.

Hujus loci est periculi illius meminisse, quod foeminis a natura tenerioribus ac debilibus minatur, dum spretis contraindicationibus id vetantibus, infantem recens natum ex lacte suo alunt. Non tantum vero, durante lactatione, a qua, ob increscentem imbecillitatem, saepius desistere tenentur; sed paulo post insignis corporis macies subsequitur. Ipsum enim lac copiosum, quod in his foeminis effluit, et quod saepe optima artis medicae auxilia sollicite adhibita non coercent, summam jam debilitatem indicat, per quam effluxus bonorum et nutritiorum humorum etiam per alia corporis colatoria inducitur.

Plurimos itaque ex propria, ob incuriam, pravam educationem, aut consuetudinem culpa debilitari con-

stat. Sed multi quoque infelici sorte per morbos, quos aliunde, et inevitabiliter nacti sunt, illico sub aegritudinis decursu, ac ex hujus natura maxime irritabiles fiunt; vel tum primum, dum ex iis emergunt, immutata totius fere corporis indole, erethismo in perpetuum plectuntur. Prouti pleraeque nevroses, cachexiae, phthises mox a principiis cum, aut ex debilitate procedere observantur: ita nec alii affectus, qui vix non semper hyperstheniae faciem praeseferre solent: inflammationes ergo, haemorrhagiae, retentiones, efflorescentiae cutaneae, aliique, dum debiliora invadunt corpora, erethismi characterem adsumere non possunt; id quod quivis eorum protinus novorum, a consuetis et essentialibus morbi symptomatibus, alienorum, accessu, singulari habitu ac decursu, in speciali morborum pertractatione opportunius describendo, attento patefacit medico. Generatim insuper nimiae cum morbis sensibilitatis connubium, seu super eos imperium dignoscetur ex prompto illorum et tumultuario, quem exiguae causae advocant, ingressu; decursu et typo irregulari; symptomatum nervosorum inopinato saepe ac iterato proventu, omnium vero magna contradictione et mutabilitate; ex crisibus imperfectis, vix unquam solennibus; morbi in metaschematismum pronitate, atque facili sub segni convalescentia reversione. Major tandem, quam ab ipsius morbi natura repeti posset, virium lapsus, aegrorum impatientia, anxietas, inconstans in medicum fiducia, varia idiosyncrasiae phaenomena, improvisa a medicaminibus, aut evacuationibus exagitatio, atque omnia, quae debilitatem gignere, et prodere in praegressis dicta fuere, clariorem rei lucem fenerant.

Quibus nunc auxiliis evolvendum in dispositis erethismum praevertere, evoluto vero mederi oporteat,

specialius exponere, cum, illius in hisce pagellis pathogeniam solum atque phaenomena tradenda susciperemus, haecque insuper ampliorem sibi, quam dissertationis campum vindicarent, consulto abstinemus. Interim brevi, ac in genere: per regimen, cunctis, quibus debilitatem progenerari recensuimus, causis, adversum, per magnam, aegro impositam corporis animique quietem, stimulorum lacessentium remotionem, aut ad minus moderamen, necessariorum vero prudentem admissionem minanti malo feliciter saepe occurri; perpensius electorum vero acidorum mineralium, aromatum, amarorum, nacroticorumque leniorum usu praesenti optime mederi posse, hic dicendum est. Maximam autem, ob rationes supra expositas, attentionem, et cautelam, evacuationes, quas morbus produxit vel primum suscipiendas esse jubet, sibi exposcunt; atque universim, sive erethistico des, sive demas, praeprimis magnum illud »ne quid nimis« — menti semper obversetur.

Theses defendendae.

I.

Non nascuntur species novae organismorum, sed pereunt.

II.

Non pereunt morborum species, sed novae nascuntur.

III.

Multi morborum non proveniunt a vitae pravo genere, sed illud gignunt primum.

IV.

Omnis glandula (vera) accessoriam habet.

V.

Entia organica altioris ordinis ex inferioribus, vel his tardius evoluta fuisse, non constat.

VI.

Plurimorum morborum, qui chronici dicuntur, fomes latet in passione locati.

VII.

Fit abusus balneorum frigidorum.

VIII.

Medicina nostri aevi eam omnium praeteritorum antecellit.

IX.

Foemina, exantlato morbo graviore non prius perfecte sanata dicatur, antequam menstrua comparuerint.

X.

Cor non est centrum circuitus pro sanguine.

XI.

Natura etiam ultra necessitatem facit.

XII.

Portentum monoceps, licet bicorporeum, una tantum anima gaudet.

XIII.

Generis humani pro suscipiendo vaccinae contagio dispositio periodice deficere potest.

XIV.

Sanguini inesse ferrum qua tale, imo sanguini qua tali, demonstrari nequit.

XV.

Mixtio aëris atmosphaerici est chemica.

XVI.

Medico saepe aegrum magis, ac morbum nosse prodest.

XVII.

Anima aegrotescere nequit.